

---

## OBSERVATIO VIII.

PRIVILEGIUM DOTIS, UXORIBUS CHRISTIANIS  
INDULTUM, HODIE MULIERIBUS QUOQUE IU-  
DAICIS TRIBUENDUM EST.

---

Sanctio illa, ius praelationis, doti mulierum indultum, denuo firmans, ac e contra mulieres haereticas, quae admittantur ad hocce ius, indignas esse declarans, quaestioni ansum dat: num et nostra aetate mulieres Iudaicae a memorato dotis privilegio, quo mulieres Christianae orthodoxae prae caeteris, quae in Ecclesiae Christianae communione non sunt, se ornatas esse gloriantur, excludendae sint? Admodum circa diiudicandam hanc quaestionem inter se dissentiunt diversae Doctorum scholae, quarum affirmantem aliae (a), aliae negantem sententiam (b) amplectuntur.

Non sum nescius, Iudaeorum apud Romanos contemptum incredibilem, et tantum fuisse,  
ut,